



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De libertate & immunitate Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

Latinis Latinè, rudioribus autem Germanicè publicè prælegantur. Catalogus verò librorum prælegendorum à singulis Pastoribus, singulis cuiusq; Parochiæ Præceptoribus tradatur.

16. Hæc omnia scholasticis, alijsq;, quibus scholarum prouiso, inspectio, vel visitatio, ex officio vel speciali mandato iniuncta est, ita curæ sint, vt pro horum debita executione & obseruatione, nihil ab ipsis sollicitudinis, & diligentia desiderari possit.

DE LIBERTATE ET IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

1. Quoniam Iudices quidam Laici in graue animarum suarum detrimentum, & immunitatis Ecclesiasticæ præiudicium Ecclesiasticam libertatem multis modis restringunt; immunitatem in seruitutem redigunt & summa cum indignitate, in sacrosanctam eius inuolant iurisdictionem: supplicandum esse duximus Cæsareæ Maiestati, vt vniciq; quod suum est tribuens, Ecclesiasticam libertatem, immunitatē, ac iurisdictionem, Imperatoria sua auctoritate defendat: & hæc præcipue quæ sequuntur in Ciuitate & Diocesi Colonienfi præstare dignetur.

De his Bulla cæne Domini. Stat. Engelb. ca 17. 18. 19 & seq. pa 25. Stat. Sifr. c. 12. pa. 46 Stat. Henr. an. 1306. edit. ca. 5 & 6. pa. 61. Stat. Henr. an. 1307. edit. c. 15. pa. 72 d. Stat. Sifr. c. 33. pag. 206. 207. Mandatum Caroli 5. pro confirmatione & execut. Conc. prou. sub Adolp. 3. habit. pag. 420. etc. in Statut. prouinc. Colonien. Concil. prouinc. sub Adolp. 3. habit. in censu. & de cretis cap. Accipimus Magistratus. & sequer. pag. 452. Synod. Diocesa. an. 1549. 2. Offi. habit. pag. 458. c. & Synod. Diocesa. anno 1550. feria 5. post Remigij habit. in mandato cuius initium est. Quamquam diuinis legibus. pag. 509. Item Synod. anno 1551. habit. pag. 530.

2. Vt ne iudices Laici in personas Ecclesiasticas aliquid iuris, vel de eorum excessibus cognitionis aut vsurpent, aut prætendant; nec eosdem coram se, pro actionibus personalibus, etiam ciuilibus pertrahant; siue sint seculares Clerici, siue Capitula, aut Monasteria dictis iudicibus subiecta.

3. Vt

3. Ut ne Episcopus ac eorum officiales vlllo pacto impediant, quin in criminosos sibi subiectos, Canonicam exercere possint disciplinam, eosque pro modo culpæ ex sacrorum Canonum dictatione punire.

4. Ut ne aduersus Ecclesiastica Iudicia, & quæ ad illa instituenda præparatoria sunt, patrocinium ferant; aut eorum vel quorumcunque mandatorum, aut decretorum Ecclesiasticorum executionem, quauis ratione impediant.

5. Ut ne Clericos, maximè in sacris Ordinibus constitutos, cogant ad militares excubias; nec eorum aut Ecclesiarum, aliorumue piorum locorum bona, sine speciali, & expressâ licentia Ordinum Ecclesiasticorum, ad aliquas contributiones obligare vel taxare præsumant, aliove quouis modo, contra Ecclesiasticam immunitatem grauare vel arrestare.

6. Ut ne in matrimonialibus aut alijs quibuscunque causis spiritualibus, ad cognitionem solius iudicis Ecclesiastici spectantibus, inter suos subditos aut alienos iudicent; nec dispensandi aut transigendi potestatem, in matrimonio ac gradibus prohibitis sibi vsurpent, sed huiusmodi causas omnes, ad iudicis Ecclesiastici cognitionem & definitionem remittant.

7. Ut Episcopus aliosque iudices Ecclesiasticos, quando ab eis in auxilium vocantur, omnimodo iuuent, eorumque sententiam cum requisiti fuerint, sine noua causæ cognitione, & cuiuscunque exceptionis, per eos positæ excusatione promptissimè exequantur.